

Matrimonium alteri Senatori, Sponsæ pulchritudinem, ac divitiis simul concupiscenti. At Euphrasia Mater Lectissima, ac Sanctissima mulier, cum cognovisset à quodam potente castitati suæ viduam cognoscere parari, clam secessit cum filiola Euphrasia in Ægyptum, ubi amplissimas retinebat possessiones. Ibi colere, ac frequentare cepit Monasterium Sanctimonialium, Deo exactissimè inservientium, quibus filiam Euphrasiam educandam dedit, & ab ipsa ad amorem Sponsi cælestis, ac æternæ beatitudinis accensa, vitam Religiosam elegit; & duodennis tria solemnia Religionis Vota, Paupertatis scilicet, Castitatis, & Obedientiæ emisit; ut scribit Laurentius Surius tom. 2. die 2. Martii in eius Vita, virtutibus, ac miraculis plena; in qua subdit, Imperatorem Theodosium ad eam misisse Litteras ad hoc, ut Matrimonium per verba de futuro contractum, absque mora adu completeret; cui Euphrasia ita respondit: *Domine Imperator. Ita ne iudex ancille tuæ, ut repudiata Christo, homini corruptibili, & quem paulo post vermes edent, conjugar? Absit tanta pervertitas ab ancilla tua. Oro igitur, Domine Imperator, ne Tibi deinceps Vir ille hæc de re mihi molestus sit; ego enim me Christo devovi, & fieri non potest, ut illum abnegem. Precor autem Imperium tuum, ut si memor Parentum meorum, meaque opes, ac facultates dispenfes in pauperes, & Christi Ecclesiæ, Servos vero omnes manumittas, & Patris mei ascribis præcipe, ut debium omne remittant agricolis iam inde ab obitu Patris mei usque in presentem, ut sine sollicitudine possint servire Christo, cui me totam commisi. Imperator tantam virtutem admiratus, ac veneratus, dictis Euphrasie acquievit. Itaque hæc Virgo per Regularem professionem solvit Matrimonium antea contractum, etsi per verba tantum de futuro, cum esset quinquennis, prout illis temporibus erat in usu.*

Quintum, & Sextum Exemplum, à Scoto in 4. Sent. d. qu. 31. sub lit. C. relatum, est S. Alexii Confessoris, nobilis Romani; nec non cuiusdam Theonæ Abbatis. De Sancto Alexio hæc ponit Breviarium Romanum die 17. Julii. *Alexius Romanorum nobilissimus, propter eximium Jesu Christi amorem, prima nocte Nuptiarum, peculiari Dei monitu, relinquens intactam Sponsam, illustrium orbis terræ Ecclesiarum peregrinationem suscepit. Idque fecit Anno Domini 410. circiter, cum esset Pontifex Romanus Innocentius Primus; Imperator autem Honorius. De Theona Abbate scribit Io. Cassianus col. lat. 21. cap. 9. (cujus verba refert Emmanuel Gonzalez in cap. 1. De Conjug. Conjugator. num. 3.) quod dimissa Uxore, etiam invita, & ea reluctante, ad eremum, & Monachatum se contulit, ubi (sunt verba Cassiani) in brevi tanto splendore sanctitatis, & humilitatis evitavit, ut beato memorie Joanne ad Dominum ex hac luce migrante, sancto quoque Helia viro, qui hæud minor deessore suo fuit, similiter decedente, tertius Theonas universorum prælectus iudicio, in Diaconie eius dispensatione successerit. De his duobus exemplis congruentius dicendum videtur, ea non facere pro nobis; non illud S. Alexii, nam non continet, quod professus sit vitam Regularem in aliquo Monasterio, nec quod ejus Uxor alii nupsit, quæ imò semper permansit in domo eiusdem S. Alexii, cum genitoribus ejus, ut ex Metaphrasæ notat Surius in eius vita die 17. Julii. Exemplum vero Theonæ Abbatis ad rem non facit, quia ex narrativa Cassiani, & Gonzalez ubi supra, deprehenditur, eum fuisse quinquennio cum Uxore, & per consequens Matrimonium cum illa consummasse, ac de Jure ea invita non potuisse ad Religionem transire. cap. Agathosa. cap. Si quis conjugatus. 27. q. 2. cap. Si dicat Vir. cap. Notificasti. & cap. Mulier. 23. q. 5. Nisi dicamus, S. Alexium factum fuisse Religiosum de numero eorum, quibus*

loco cenobii assignabatur peregrinatio; unde vocabantur gyrovagi, de quibus differit Giballinus de 23. Clausura Regular. disput. 3. cap. 1. §. 3. num. 9. Abbatem vero Theonam fuisse cum Uxore in Matrimonio rato; non autem consummatum. Quidquid sit, dicere oportet gesta prædictorum Servorum Dei fuisse miranda, non imitanda, ut respondet Gonzalez in d. cap. 1. De Conjug. num. 6. his verbis: *Supponere oportet in eis peculiarem aliquam Divinam inspirationem intervenisse, vel impellentem ipsos ad sic faciendum, vel adu ipsam comprobantem; idque præter ordinem, & legem; ut haberemus, quod mireremur, non quod imitemur.* Sic S. Apollonia Virgo, & Martyr, comprehensa ut combureretur, cum paulisper, quasi delibere quid agendum esset, steteret, ex illorum manibus elapsa, alacris in ignem sibi paratum, majori Spiritu sancti flamma intus accensa, se iniecit, ut legitur in Breviario Romano die 9. Februarii; opus mirandum, non imitandum. Consimile admiratione dignum fuit factum Virginis illius Alexandrinae, de qua P. Stephanus Binetti Societ. Jesu in Praxi Divini Amoris cap. 28. Exmpl. 11. ipsa enim ne stupraretur à milite, finxit, se ei daturam oleum præservans ab omni vulnere; quo collum suum unxit, dicens militi, experire; enst tu percuta tota vi collum meum. Creditus miles ita fecit; abscidit uno ictu caput Virginis, quæ ob amorem Christi vitam perdidit, ut Virginitatem servaret.

Septimum Exemplum est aliorum duorum militum, de quibus resatur Divus Augustinus lib. 8. Confession. cap. 6. quod lecta per eos S. Antonii Abbatis vita, relictiis Sponsis ad Monasticam vitam evolarunt, & vota solemnia Religionis professi fuerunt; vincula suorum Matrimoniorum nondum consummatorum dissolventes.

Octavum Exemplum est Gregorie Virginis Romanæ, de qua narrat S. Gregorius Papa, Dialog. lib. 3. cap. 14. eam spretis nuptiis jam sibi constitutis, ad Monasterium Monialium confugisse, atque in eo Regularem vitam esse professam.

Nonnum exemplum est S. Petri Eremitæ Hispani, de quo Bollandus die 11. Martii, & eadem die Hieronymus à Basilica Petri in Episcopocid. Sacris narrat, quod, ad imitationem S. Alexii, prima nuptiarum nocte Sponsam intactam reliquit, ac in Italiam ex Hispania veniens, secessit in speluncam intra Verulanam Diocesim, in qua austera vitam duxit, ac miraculis claruit.

Decimum Exemplum est Bertæ Abbatissæ in Diocesi Rhemeni, quæ post Matrimonium ratum cum Gundeberto Viro nobili Sponso suo, Monasterium ædificavit, & in illo tria vota Religionis emisit, ac se à Vinculo maritali solvit; ut fufius scribunt Bollandus, ac Hieron. à Basilica Petri in Actis Sanctæ. Calend. Maij.

Undecimum Exemplum est S. Silvestri Episcopi Vifonti, Urbis Burgundicæ, vulgò Besanconie, qui cum inisset Matrimonium per verba de presenti, Sponsa consentiente, vitam Religiosam professus est, sic attestantibus ipsidem Bolando, & à Basilica Petri die 10. Maij.

Duodecimum delimitur Exemplum à S. Aldegunde Virgine, de qua Bagatta in Admirand. Orb. Christ. tom. 2. lib. 5. cap. 4. §. 11. num. 5. hæc ponit: *Ugebatur à Parentibus nobilissimis, ut nubere Principi Anglicæ Regis filio. Dies nuptiarum iam decreta erat, ipsa licet dissentiente. Ea nocte, qua adventabat Princeps, & domo paterna sese surripit, in sinum Matris suæ nuptiarum perrexit, ut ibi lateat. Queritur puella à domesticis, queritur & à Sponso. Presidio noctis se tutam arbitratur, at illo iniquitate deprehenditur in angustiis. Sanguis suavis ulterio rem gressum prohibente. Quid ageret? Tumultum ad se adventantium equitum inaudit; nec tam Sponsum*

existimat, quàm Virginitatis hostem advenire. Rem igitur tacita oratione Deo commendat, & magna in eum facta fiducia, super liquidum, & impermeabile elementum gradum sibi solidum, epulantibus duabus, destra, levaque Angelis. Sic evadit incoluntis, spestante Sponso, qui Divinum admiratur miraculum, plenus supore, ab incepto delibenti retrogreditur. Accessit ipsa deinde ad Monasterium Alimontense, & in eo inter Moniales professas admittit, sanctitate vitæ, ac miraculis claruit.

Decimumtertium exhibet Exemplum Sylos in Historia Clericor. Regular. tom. 2. lib. 4. Anno 1606. narrans, Ven. Josephum Caracciolum, dum in securo degeret, & Isabella Caracciola, formosissimæ thorum conjugale castimonia confervasse, mutuo consenti Religionem ingressum per solemnia vota se, ac Sponsam suam à nexu Matrimoniali liberaffe.

Decimumquartum, & ultimum Exemplum suggerit Glossa in addit. ab Henrico in Summ. lib. 11. cap. 8. n. 6. lit. E. ubi cum dixisset, Matrimonium ratum solvi per professionem regularem etiam in Religione Militari S. Joannis Equitum Melitensium, subdit: *Sic in praxi Don Gaspar Dux Morina Celi, suscepta hujus Ordinis professione, liberatus est à Matrimonio cum sapientium consultatione. Idem repetit Sanchez de Matrim. lib. 2. disp. 18. num. 8. Si quis ulteriora desiderat exemplum dissoluti Matrimonii rati per Regularem professionem, legat Emin. Card. Bellarminum tom. 1. lib. 2. de Monachis cap. 38. & Encephalum lib. 6. de Vota continentia cap. 4. Supra scripta enim nobis sufficiunt.*

DECISIO XV.

ARGUMENTUM.

Disputatur gravissima illa Quæstio, Utrum Papa habeat potestatem dispensandi, & dissolvendi Matrimonium ratum, nondum consummatum? Pro negativa (quæ rejicitur) adducuntur rationes decem, ac Doctores plures eam tenentes. Pro affirmativa aliæ magis ponderosæ rationes allegantur, ac exempla plurima referuntur dispensationum à Summis Pontificibus per sexcentos continuos annos pro dissolvendis Matrimonii ratis concessarum. Causam tamen justam esse necessariam ostenditur; & quæ sint justæ causæ, demonstratur. Multæ eruditionis perpulchræ inferuntur; & alia dubia, hanc Quæstionem concernentia, elucidantur.

SUMMARIUM.

1. Papa an possit dissolvere Matrimonium ratum, non consummatum? Quod non. Rationes. n. 2. Quid sit num. 13.
2. Papa non potest dissolvere Matrimonium consummatum.
3. Papa non valet impedire effectus Sacramentorum.
4. Matrimonii bona tria. Et quæ?
5. Principes Laici non possunt Matrimonii rata dissolvere.
6. Servus ordinatus nesciente Domino deponitur.
7. Jus suum nemini est auferendum.
8. Morbus superveniens non solvit Matrimonium.
9. Heres mariti non solvit Matrimonium ratum.
10. Episcopus an possit in sua Diocesi quidquid Papa in toto mundo, nisi prohibeatur?
11. Scoticæ tenentes, quod Papa non potest dispensare in Matrimonio rato. Item Thomistæ, & Canonistæ.
12. De Sacram. Matrim.

13. Papa habet plenissimam potestatem pro bona regimine Ecclesiæ.
14. Plus dicit licet, etiam minus licere debet.
15. Papa dissolvere potest ratum solemnem Castitatis, & Religionis.
16. Exempla Religiosorum, quorum Vota solemnia fuerunt dispensata.
17. Nicolaus Justinianus Monachus Casinensis Uxorem duxit.
18. Anna filia Ducis Venetiarum nupsit dicto Monacho Justiniano.
19. Argumentum de facto ad potentiam valet.
20. Exempla Matrimoniorum ratorum per Papam dissolutorum.
21. S. Anton. Archiep. Florentin. quo anno solvit?
22. Navarri doctrinæ de Matrimonii ratis solutis per Papam.
23. Navarri Virtus, ac pietas laudata. Quo anno obierit?
24. Doctores legenti magis credendum, quam consulerenti. Et cur?
25. Cardinalis Cajetani laus, ejus Vitæ, ac mortis tempus.
26. Cardinalium testimonio, etiam sine juramento, credendum.
27. Henrici Henriquez dictum de solutione Matrimoniorum ratorum.
28. Ejus laudes, Vitæ bonitas, summa sapientia, & obitus.
29. Jo. Valeri attestatio de Matrimonii ratis dissolutis per Papam.
30. Concilii Guarientis Nob. Veronensis Matrimonium ratum solutum.
31. Jacobus Menochius Publicus Legum Professor Paduæ Laudatus.
32. Rota Romana testimonium, quod Matrimonia rata dissolvi possunt.
33. Burgi Urbis, vulgò Burgos est in Hispania.
34. Prosper Fagnanus caput esse Secretarius S. Congr. Concilii Anno 1613.
35. Urbani VIII. Litteræ dispensationis super Matrimonio rato.
36. Pontificarius Major an dispense in Matrimonii ratis occultis?
37. Papa habet omnia jura in serinio pectoris, & est Fidei regula.
38. Doctores, qui tenent Papam in rato Matrimonio posse dispensare.
39. Resolutio rationum, quibus videbatur Matrimonium ratum insolubile.
40. Scoti bene declaratus à Maffrio.
41. Doctorum minor numerus à majori enervatur.
42. Papa judicio standum est contra Doctores.
43. Causæ duodecim, ob quas Papa potest solvere Matrimonium ratum.
44. Cupido cur cæcus, & oculis vitæ operis pingatur?
45. Morbus Gallicus quando sit contagiosus?
46. Ratum Matrimonium prætor impedit, ac dirimit secundum quantum consummatum.
47. Sponsorum solus consensus mutui non sufficit pro dissolvendo Matrimonio rato.
48. Matrimonium ratum an solvi possit à Papa absque urgenti causa?
49. Pontifex, qui recusat dissolvere Matrimonium ratum.
50. Papa an per Legum generalem possit Matrimonia rata solvere.
51. Consensus utriusque conjugis an sit necessarius pro dissolvendo Matrimonio rato?

Vidimus hucusque de primo casu, in quo solvitur vinculum Matrimonii Rati per Religiosam Professionem; nunc agendum est de secundo casu, per quem solvi potest ipsum Matrimonium, quem in Decif. X.

cap. X. num. 17. esse diximus Pontificiam dispensationem. Igitur disputant Theologi, atque Canonistae, Utrum Papa possit dissolvere Matrimonium ratum, nondum consummatum, ad effectum, ut praevia eius dispensatione uterque conjux possit alii nubere, & cum alio novas Nuptias inire? Omnes scribentes vocant Quaestionem hanc gravissimam, & molestissimam, propter opiniones contrarias affirmativam, & negativam, quae reperiuntur circa ipsam; & ob multitudinem, quae auctoritatem Doctorum pro utraque parte pugnantium, ac fortissimis rationibus incontinentium. Plures, & praecipue antiqui Doctores amplexi sunt opinionem negativam, docentes non posse Papam dissolvere Matrimonium ratum ex rationibus sequentibus.

Primò: Quia insolubilitas Matrimonii, etsi tantummodo rati, est de Jure Divino, & statuta ab ipso Deo, ut ostendimus supra Decif. VII. num. 25. & 26. & habetur in cap. Unico. De Voto in 6. atque in Concilio Tridentino sess. 24. cap. 1. De Matrim. Sed potestas Papae non se extendit supra Legem Dei, neque dispensare potest contra Jus Divinum, cap. Divinis praecipis. cap. Sunt quidam. & cap. Omnes. 25. q. 1. Ergo solvere non potest Vinculum Matrimonii rati.

Secundò: Si Papa possit dissolvere Matrimonium Ratum, posset etiam consummatum. Sed hoc dissolvere non potest, ut plene probavimus de Decif. VII. num. 23. nec non Decif. X. a num. 17. & seq. Ergo nec ratum. Major propositio, in qua est vis argumenti, sic probatur. Matrimonium tam ratum, quam consummatum in ratione contractus sunt essentialiter idem; siquidem copula carnalis non est novus contractus; neque spectat ad eisdem contractus essentiam, cap. 1. & cap. Sufficit. 27. q. 2. Magister in 4. sent. dist. 27. tit. D. Similiter in ratione Sacramenti non differunt, quia ratio Sacramenti fundatur in contractu, non in copula; ideòque ante eam habetur essentia Matrimonii; aliàs non fieret Sacramentum. Idcirco cum Matrimonium Ratum, & Matrimonium consummatum sint unum, & idem Sacramentum; unus, & idem perfectus contractus; qui non potest solvere consummatum, neque Ratum solvere poterit.

Tertiò: Quia Papa facere non potest, ne Sacramenta suum operentur effectum: exempli gratia, ne baptizatus sit de familia Christi; ne Eucharistia consecrata contineat Corpus Christi; & ne alia Sacramenta collata subiecto capaci operentur in eo suos effectus, quos infallibiliter producent ex Dei institutione. Sed unus ex effectibus Sacramenti Matrimonii est insolubilitas; unde ait S. Augustinus, quem refert Magister sent. in 4. dist. 31. A Nuptiale bonum irrevocabile est, scilicet Fides, Proles, & Sacramentum. In fide attenditur, ut post vinculum conjugale cum alio, vel alio coeatur. In prole, ut amantur suscipiantur, & religiose educetur. In Sacramento, ut conjugia non separetur. Ergo cum haec insolubilitas conjugii sit effectus Sacramenti, & veniat à Deo, non potest à Papa auferri, faciendo solubile Matrimonium Ratum, & dispensando, ut conjuges separetur, & aliis per novum Matrimonium jungantur.

Quartò: Quia Papa non debet operari contra Evangelium, neque contra doctrinam Apostolorum. Sed in Evangelio scriptum est, Matth. 19. Quod Deus coniunxit, homo non separet. Et Divus Apostolus Paulus 1. Corinth. 7. docet, quòd Mulier alligata est Legi, quanto tempore vir ejus vivit; quòd si dormierit vir ejus, soluta est à Lege viri, cui vult nubere. Ergo Matrimonium Ratum à Papa solvi non potest, & solum per mortem alterutrius conjugi sit solubile.

Quintò: Quia si Papa posset dispensare in Matrimonio Rato fidelium, & illud solvere; etiam Prin-

cipes Laici possent dispensare, atque solvere Matrimonia suorum subditorum infidelium. Sed hoc est falsum, ut asseritur ab omnibus Theologis; & notant Salmanticenses tract. 9. de Matrim. cap. 4. n. 37. Ergo neque Papa potest solvere Matrimonium ratum inter fideles.

Sextò: Quia Ecclesia non permittit, ut quis privetur Jure suo, quod habet in aliquo; & idèd si servus ordinetur, invito, vel nesciente domino, deponitur, & ipsi domino restituitur. cap. 1. & 2. De Servis non ordin. & ratio est, quia iustitia non patitur, ut Jus nostrum sine nostro consensu nobis auferatur. l. Id, quòd nostrum. ff. de Regul. Jur. Menoch. cons. 161. num. 19. Sed per Matrimonium ratum acquiritur est uni conjugi Jus, & dominium in corpore alterius conjugi, ut ex Apostolo 1. Cor. 7. ostendimus supra Decif. II. num. 10. Ergo à Papa non debet ei Jus suum auferri, eodèd invito, per dissolutionem Matrimonii rati.

Septimò: Quia in cap. Hi, qui Matrimonium 32. q. 7. respondit Nicolaus Pontifex, quòd Hi, qui Matrimonium jam contraxerunt, & uni ex duobus dementia, aut furor, aut aliqua infirmitas accesserit, ubi dicitur, infirmitatem, & causam conjugia saltem solvi non possunt. Similiter dicitur, quòd si ab adversariis excutatur, aut membris truncantur, aut à barbaris vexati fuerint; Ergo nulla de causa solubile est Matrimonium ratum.

Octavò: Quia Innocentius III. in cap. Ek parte. 24. de Convers. Conjugat. interrogatus dixit: ex quo Matrimonium inter legitimas personas, per verba de presenti contrahitur, alius eventibus, in nullo casu posse dissolvi, ut vivente reliquo alter ad secunda vota transmigrat; etiamsi unus fidelium, inter quos est ratum conjugium fuerit hereticus. Igitur si in nullo casu potest dissolvi, neque per dispensationem Papae, etiam consummatum non sit, sed solummodò ratum, potest dissolvi.

Nondò: Quia si talis dispensatio, & dissolutio Matrimonii rati esset possibilis in Papa, posset etiam fieri ab omni Episcopo in sua Diocesi; quandoquidem quicquid Papa potest in universo Orbe, potest & Episcopus in sua Diocesi, nisi sibi sit specialiter prohibendum. Salmanticenses d. cap. 4. de Matrim. num. 57. Sanchez de Matrim. lib. 1. disp. 61. num. 3. & lib. 2. disp. 14. sub num. 1. Vers. Octavo. At nullibi id reperitur prohibendum.

Decimò: Quia sic sentit Scotus in 4. sent. dist. 31. qu. 1. Vers. Tertio modo; & cum eo tenent omnes Schola Scotistarum, inter quos S. Bonaventura, Almarinus, Henrix, Tatarctus, & alii, quos citat, & 12 quibus inclinat Eminens. Card. de Laurae dist. 16. de Matrim. art. 12. num. 232. ex Thomistis autem Paludanus, Victoria, uterque Sotus, uterque Ledesma, Valentia, Gonetus, & alii cumulat per Basilium Pontium, illdem tenent adhaerentem lib. 9. de Matrim. cap. 3. num. 3. Ex Canonistis verò Emin. Card. de Turrecremata in cap. Suet, qui dicitur. 27. q. 2. art. 3. num. 5. Alexander de Nave in cap. Duae, num. 14. De sponsa duxerit. Covarruvias in 2. p. de Matrim. cap. 7. §. 4. num. 13. Antonius Cuchus lib. 5. dist. major. tit. 12. num. 27. Burfattus cons. 207. num. 18. lib. 2. & alii innuunt, quos numerat Sanchez de Matrim. d. lib. 2. disp. 14. num. 1. in fine, & quos citat Diana part. 8. tract. 1. resol. 62. & tract. 3. resol. 97. Quae resident in Coordinato tom. 3. tract. 1. resol. 94. & 95.

Affirmativa Sententia, quae communior, ac verior est, & in praxi recepta, habet & ipsa suas rationes; atque praxissimos Auctores Theologos, ac Canonistas defendentes, ac docentes, Summum Pontificem, tamquam Christi Vicarium in terris, habere à Deo potestatem, iusta, & gravi concurrente causa dispensandi in Matrimonio rato, & eius vinculum dissolvendi, ad hoc ut ambo conjuges ab eodem

eodem vinculo liberati possint alii nubere, si velint, & alias nuptias inire. Rationes hujus Pontificiae potestatis sunt sequentes.

Primò: Quia Summus Pontifex recepit à Christo Domino plenissimam potestatem ad omnia, quae necessaria sunt pro bono regimine fidelium, & ad commodum, & utilitatem eorum; & praecipue ad ipsorum pacem conservandam. Sed ad hunc finem consequendum necessaria erat potestas dissolvendi Matrimonia rata, nondum consummata, ad evitanda mala, & ad tuendam concordiam in familiis, ac Regnis Christianis. Ergo hujusmodi potestatem Christus concessit Papae, ut doctè demonstrat Jacobus Pignatellus in suis celeberrimis Consultationibus Canonice tom. 1. Consult. 148. num. 4. ubi DD. sic docentes cumulat.

Secundò: Quia qui licet quod est plus, quod etiam minus esse licere debet. cap. Cui licet. 44. de Regulis Juris in 6. Sed Papa licet dissolvere votum solenne Castitatis emissum in Professione Religiosa, quod est Majus, quam Matrimonium ratum: nam per idem Votum dissolvitur hoc Matrimonium, ut fuse demonstratur esse supra Decif. XIII. a num. 9. & seq. Ergo ipsi Papae licere debet etiam dissolvere Matrimonium ratum, quod est minus. Minor propositio, quòd Papa possit dissolvere Vota solemnia Religionis probatur auctoritate, & exemplis. Praefata auctoritatem S. Thomas in 4. sent. dist. 38. q. 1. art. 4. ad 3. his verbis: Si communis utilitas totius Ecclesiae, aut unius Regni, vel Provinciae exprophet, possit convenire, & in voto continentur, & in voto Religionis dissolvi. Hanc Angelici Doctoris sententiam sequuntur, & approbant plurimi Theologi, ac Canonistae, antiqui, & moderni, quos congerit, & citat notissimus Fagnanus in cap. Cum ad Monasterium. num. 65. De statu Monachorum. tom. 5. & nos demonstravimus supra Decif. XIII. num. 23. Exempla Votorum solemnium Religionis per Papam dispensatorum sunt, de Ramiro Rege Aragonum, qui, relicta Religione, & Episcopatu, accepit uxorem. De Constantia filia Rogerii Regis, quae cum esset Sandimonialis nupsit Henrico VI. Imperatori. De Nicolao Justiniano Nobili Veneto, Sacerdote, & Monacho Benedictino in Monasterio S. Nicolai de Litore, qui ab Alexandro III. ad instantiam Serenissimi Ducis Venetiarum dispensatus fuit, ut uxorem duceret, prout fecit, ne nobilissima Justinianorum familia, extingueretur. De Cardinali Joysae Fratre, Sacerdote Professo, & Provinciali Ordinis Capucinorum, qui pariter dispensatus fuit à votis à Gregorio XIII. ut Matrimonium iniret, prout ex approbatis Scripturis, ac Historiis refert idem Fagnanus in cit. cap. Cum ad Monasterium. num. 66. De statu Monachorum. & notat Bagatta in Admiranda. Orbis Christi. tom. 2. lib. 3. cap. 7. num. 49. ubi de superaddito Monaco Justiniano Veneto haec ait: Nicolaus Justinianus in a voto solutus, ut Familiam extingueret repararet. Annam

Vialis Michaelis Ducis Venetiarum filiam in uxorem duxit; susceptis autem nuptiis liberis sex, tribusque feminis, mutuo consensu, uterque Religionem suscepit. Igitur sicut Summi Pontifices pluries dispensaverunt, & dispensare possunt ex urgenti iusta causa in votis solemnibus Religionis, & ea solvere, quod est quod est majus; ita valent dispensare in Matrimonio rato, & illud solvere, quod est quod est minus.

Tertiò: Quia, (ut ait Emin. Card. de Laurae d. disp. 16. sub num. 253.) valet consequentia de facto ad potentiam; sed plurimi Pontifices Romani sanctissimi, ac doctissimi dispensaverunt in Matrimonio rato, & eius vinculo dissolvo concesserunt, ut conjuges ad alias nuptias transirent. Ergo dicendum est, Summum Pontificem in Matrimonio rato posse dispensare. Quòd autem dispensaverit, probatur

ex attestationibus sequentibus. Primò ex dissolutione Matrimonii rati, non consummati, Godefrido 21 di. (ex deformitate corporis nuncupati Gibberli) atque Principisse Mathildis; per dispensationem Gregorii Papae VII. Anno 1074. qui Godefridus Gibberus ad alias nuptias transivit, Mathilde Virgine, ac inupta remanente, ut scribit Emin. Card. Baronius in Annalib. ad d. Annum Christi 1074. num. 23. & refert Emin. Card. de Laurae d. disp. 16. de Matrim. num. 253. ubi subdit, alia exempla ante hoc invenire non potuisse; & quòd Gregorius VII. Ecclesiastica disciplina zelantissimus, & tot passus persecutiones, ne tantillum à canonum severitate deflueret, non solvisset Legem Dei, nisi sibi potestatem à Christo datam esse scivisset. Secundò ex dispensationibus super eodem Matrimonio rato concessis per Martinum V. qui fuit creatus Pontifex Anno 1417. & per Eugenium IV. assumptum ad Pontificatum 22 Anno 1431.; quas quidem dispensationes vidisse, ac legisse testatur S. Antonius (qui obiit Anno 1459. aetatis suae septuagesimo, & fuit reclusus in Catalogo Sanctorum ab Adriano Papa VI.) in eius Summa 3. part. tit. 1. cap. 21. §. 3. cui Sancto maxime est credendum, ut ait praedictus Emin. Card. de Laurae d. dist. num. 253. Tertio ex dissolutione Matrimonii rati, nondum consummati per Alexandrum VI. electum Papam Anno 1492. qui dissolvit Matrimonium ratum non consummatum Ludovici XII. Regis Franciae, & Joannae de Valois, quae deinde fundavit Ordinem Sanctimonialium de Annunciatione, & inter eas religiosè vixit, ac sanctè obiit Anno 1505. 4. Febr. teste Bollandus d. die in eius Vita, & Odorico Rinaldo ad Annum 1498. num. 6. Item per Paulum III. electum Pontificem Anno 1530. & Pium IV. Anno 1560. de quorum obtentis dispensationibus fidem facit Navarrus in Summa Latina cap. 22. num. 21. his verbis: Dividitur etiam Matrimonium ante consummationem per dispensationem Papae, iusta de causa factam, secundum 23 Glossam singularem in d. cap. Ex publico. de Convers. Conjug. receptam ab omnibus puris Canonistis, & à Theologis canonum peritis contra praeiudicium Theologorum, excepto Cajetano, in tom. 1. Opusculor. tr. 28. Quorum opinio adeò servatur, quòd etiam ter, vel quater ad petitiones consilio meo, antequam in Urbem venissem, oblatas, fel. rec. Paulus III. & Pius IV. per suas dispensationes dissolverunt quaedam Matrimonia omnino clandestinè contracta, nondum consummata, in remedium animarum, alioquin probabiliter peritura. Quòd attestor, ne quis sequens Sotum lib. 7. de Just. & Jur. contra Cajetanum, ullum scrupulum ingerat, qui eiusmodi sanctissima gratia fruatur, vel post hac fruatur. Hucusque Navarrus; cui quidem est credendum, tum ob eius eximiam doctrinam, & pietatem, quam commendat Emin. Card. Bellarminus De Scripturis. Eccles. ad Annum 1500. ita scribens: Martinus Asplicetus Navarrus, Vir 24 doctissimus, & piissimus, vivebat Anno 1500. quippe qui natus est Anno 1493. & pervenit ad Annum 1586. aetatis suae 94. ut est in Epitaphio ipsius, & colligitur ex verbis eius, qui odogenerium se fuisse scripsit, cum Manuale dedicavit Gregorio XIII. Pontifici Anno ejus primo; tum quia ipse sic testatur est in suis tractatibus, non in consiliis tantum; si quidem magis credendum venit Doctori legenti id, quod dicit in lectione, quam consulenti in consiliis, quia ibi Veritate, hic venalitate movetur, ut adverte 25 tit Rota part. 9. recent. decif. 438. num. 12. & Emin. Card. de Luca de Testam. dist. 74. n. 7. Quartò ex dispensationibus, quas Cardinalis Cajetanus in Opuscul. tom. 1. tract. 28. de Matrim. q. Unic. dicit, suis temporibus fuisse à Summis Pontificibus elargitas; fides autem huic Doctori est praestanda; de quo pariter Emin. Card. Bellarminus eod. tract. de Scrip. Eccles. & Anno 1500. ita scribit: Thomas de Via, patria

patria Cajetanus, Ordinis Predicatorum Prior generalis, ac postea Cardinalis Presbyter à Leone X. creatus, Vir fuit Summi ingenii, nec minoris pietatis, vixit Anno Domini 1500. Et obiit Anno Domini 1534. etatis sue 60. Præterquamquod ob Dignitatem Cardinalitiam non est dubitandum de ejus dicto, attenda doctrina Cotonii lib. 3. Controv. VII. cap. 3. num. 40. de fide præstanda assertioni univocæ de facto proprio fuit probationem plusquam semiple-
 26 nam, Rota coram Coccino Decis. 19. num. 1. Et in favore familiaris magnum administratum. Rota apud Farinacium tom. 4. Decis. 556. num. 9. Multa etiam fidei tribuitur fidei simpliciter, & extrajudiciali Cardinalis sine juramento; quamvis non plene concludat. Rota coram eod. Coccino Decis. 4. num. 3. Idem Laudens 9. 56. absolutè affirmat, credi testimonio Cardinalis sine juramento. Et quatuor Gloriosis Resp. 12. num. 84. apud Dianam part. 5. tract. 2. resol. 31. (quæ in Coordinatio ejus opere est tom. 9. tract. 7. res. 69.) neget, credendum esse Cardinali in præjudicium tertii, Decis tamen in cap. Constitutus num. 9. de Appellat. ait, de consuetudine Romane Curie credi. Quinid accedit testimonium Henrici Henriquezii Societatis Jesu, in Academia Salmanticensi olim Sacre Theologiæ Professoris, qui in ejus Summa Theologiæ Moralis lib. 11. capit. 8. num. 11. de Matrim. Litt. F. notat, una de Gregorium XIII. cum undecim dispensasse; quod repetunt Moderni, inter quos Salmanticensis d. tract. 9. de Matrim. e. 4. num. 60. Vincentius de Justis de Dispenfat. Matrimonial. lib. 2. cap. 10. num. 17. & Emin. Card. de Lauræa d. disp. 16. de Matrim. num. 253. ubi tamen subiungit: Sed ad hæc non possum, ut totalem fidem huic auctori præstem; si enim res hæc est admodum difficilis, ut Pontifices rati, vel nunquam in ea dispensarint; quomodo fieri potuit, ut Pontifex ille Sapientissimus una die tot concesserit dispensationes? Cæterum non videtur ambigendum de ejus assertione, inspecta ipsius religiosissima Vita, & egregia Sapientia, quam testificatam habemus in Bibliotheca Scriptorum Societatis Jesu; ubi pag. 326. col. 2. sic: Henricus Henriquez natione Lusitanus, patria Portuensis, anno 16. natus nostræ se Societati Sacravit Anno salutis 1552. In ea Professionem Votorum 4. edidit 1568. die 25. Aprilis Salmantica in Philosophicis, ac Theologicis disciplinis perfectè eruditus, eas etiam in Collegiis nostris Cordubensibus, ac Salmanticensibus, ubi Præfectus quoque studiorum fuit, magna doctrina opinione publicè professus est. Obiit Tibure die 28. Januarii 1608. Scripsit Summum Theologiæ Moralis Tomis III. in quibus paucis verbis rerum quasi summam perstringit, & tamquam textum proponit Lectori. Deinde Annotationibus uberioribus enucleat, & Auctorum testimonio copiosius confirmat. Sexto, pro justificatione dicti Henriquezii, & pro majori comprobatione, quod Gregorius XIII. pluries dispensaverit in Matrimonio rato, facit testimonium Joannis Valeri de Different. Verisique fori, Verb. Dispensatio, Differ. 6. sub n. 4. ubi ita affirmat; Et vidimus ita fecisse Gregorium XIII. cum Duce Albano, vulgò de Alva de Tormes, qui contraxerat primo Matrimonium de presenti per Procuratorem cum filia Ducis de Alcalá Hispani; & secundo cum alia, quod consummaverat. Et hoc idem de eodem Duce Albano asseverat Diana Coordinatus tom. 3. tract. 1. resol. 94. §. 11. desumpta ex Veteri part. 8. tract. 1. resol. 62. Septimo concurrunt pro confirmi dispensatione Matrimonii rati concessa à Gregorio XIII. attestatio Jacobi Menochii, qui scripsit in iure juris veritate causæ, ob quam impetrata fuerat dicta dispensatio, in consil. 383. ubi sic
 30 ait in prime. Una causa est, quod magna sit imparitas conditionis inter Magnificum Dom. Camillum, & Vicenem; cum Dom. Camillus sit ex nobilissima Familia de Guarrentis, & habeat patrem Jurisconsultum, qui est

inter primarios Patritios patrie sue Verone communitatur, sique ditissimus. Ipsa vero Vienna præter paupertatem, & summam inopiam, est filia Magistri Nicolai Sartori. Quis dubitare potest de veritate concessæ dispensationis in Matrimonio rato, cum circa eam consulerit tantus Vir, qualis fuit Jacobus Menochius, de quo Angelus Portalis in Histor. Patavina lib. 7. cap. 4. Anno 1566. ita loquitur: Gracioso Menochio da Pavia Giuriconsulto di grandissimo nome, il quale fu Senatore di Milano, ha letto con fama immortale ombe le Leggi in Padova, e nella sua Patria ragione Civile. Odo irrefragabilis probatio deducitur prædictarum dispensationum à Romanis Pontificibus pro dissolutione Matrimonii rati concessarum ex testimonio Rotæ in Una Bergen. Dissolutionis Matrimonii 17. Junii 1594. quæ inter impressas post secundum Volumen Consiliorum Farinacii est Decis. 86. cujus Argumentum est: Matrimonii rati, sed non consummati, dissolventi ex dispensatione Papæ, iusta causa est, quando Uxor adulterium commisit cum Patre sui mariti, propter quod Maritus eam vulneravit, & occidere attentavit. Et iuxta tenorem prædicti argumenti narrat Rota, quomodo contractum fuit Matrimonium per verba de presenti inter Joannem Gili etate idoneum, & Magistram della Scada viri perpetentem, quod cum, ut præteritum, fuisset ratum, & non consummatum, quinid parvo tempore spatio interjecto, ipse Joannes à prædicta ejus Uxore, & à loco, ubi inhabitabat, se absentaverit, eorum, quod Joannis Pater, diabólico spiritu ductus, eandem Magistram carnaliter cognovit, & gravidam reliquit. Quo actio à Joanne reversus est in patriam, atque ipsam vulneravit; quæ tamquam ipsam occidendi, graviter vulneravit; quæ tamquam circa remansit. Postea item Joannes supplicari fecit fel. rec. Gregorium XIII. narrans prædicta, & alia, præsertim quod Matrimonium prædictum copula carnali non fuerat consummatum, ut dignaretur de consensu amborum conjugum Matrimonium prædictum Auctoritate Apostolica annuere, & totaliter dissolvere, qui Gregorius eandem Ordinarius Bergen. commissit. Burgi, vulgò Burgo, est Urbis Archiepiscopalis Hispaniæ Tarraconensis, Castellæ veteris caput, ut notat Ferrarius in Lexico Geograph. Verb. Burgi. Constat itaque ex hac Declaratione Rotali, quod Gregorius XIII. dederat facultatem Archiepiscopo Bergen. dissolvendi prædictum Matrimonium ratum, si preces conjugum veritate niterentur, de quantum probatione agit Rota ibidem; subdens, esse certum, quod Papa potest dispensare in Matrimonio rato ex iusta causa, ad hoc ut conjuges alias nuptias ineanat iuxta Jurisperitos, atque Canonistas num. 1. in hoc per eam allegatos, inter quos Castrensis in Rubr. ff. solut. Matrim. num. 3. Natta consil. 190. Baldus in l. fin. n. 7. C. de Episc. & Cler. & Ancharan. consil. 239. num. 2. & 4. Novò Jus facit specialis Congregatio deputata Romæ à Clemente VIII. die 16. Julii 1599. pro veritate indaganda super hac potestate dispensandi in Matrimonio rato, in qua intervernerunt octo Cardinales, quatuor Auditores Rotæ, & duo alii Theologi, omnes Viri sapientissimi, quos nominat Pignatellus d. tom. 1. consil. 128. num. 5. & omnes dixerunt, Papam posse dispensare. Decimo addenda est dispensatio, quam benignè elargitus fuit Paulus Papa V. iuxta relationem, quam facit Paganus in cap. Perniciosum n. 61. De Offic. Ordinari. tom. 2. his verbis: In Sacra Congregatione Concilii, cui prima vice interfuit ut Secretarius, Anno 1613. die 20. Aprilis, resolutum fuit, concedendam esse dispensationem super Matrimonio contracto, & non consummato, inter Julium Castrensem Stellam, & Caterinam Roperellam; prout postea, auditis Sacra Congregationis Sententia, Sanctissimus dispensavit. Quis contortet veritatem hujus dispensationis, de qua testatur ipsemet S. Congregationis Secretarius? Alias
 quatuor

quatuor confirmes Declarationes S. Congregationis Concilii referat Pignatellus d. tom. 1. consil. 148. à num. 18. & seqq. Undecimo: ratificatur hæc Veritas per dispensationem concessam à Urbano Papa VIII. ad Apostolicam Sedem assumpto Anno 1623. die 6. Mens. Augusti, juxta ejus Litteras relatas tum à Pyrrho Corrado in Praxi Dispensat. Apostol. lib. 8. cap. 7. numer. 35. tum à Vincentio de Justis de Dispensat. Matrimonial. lib. 2. cap. 10. num. 17. tenoris hujusmodi. A tergo: Venerabili Fratri Archiepiscopo Neapolitano. Intus verò.
 35 Urbanus Papa VIII. Venerabilis Frater salutem, & Apostolicam Benedictionem. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Princeps, & Principissa de Concha Neapolitani, quod pro conservatione eorum Statuum, & Familie cupiunt, Joannem eorum Filium Unigenitum cum aliquo Viro ex dicta Familia matrimonialiter copulari. Verum quia dicta Joanna, tunc in decemotertio sue etatis anno constituta, Matrimonium cum dilecto filio Michaele Blanco, per Procuratorem, per verba de rato, contraxit, & quod ratione hujusmodi Matrimonii graves lites, & inimicitie orta jam sint, & majores fuissent, nisi auctoritate, & providentia dilecti Filii Nobilis Viri Comitis de Monte Rey Proregis Neapolitani prouissum fuisset; Nos etc. Fraternitati tue committimus, & mandamus, quod Matrimonium hujusmodi sit factum, & non consummatum, stante etiam consensu partium, nullum, & invalidum, ad effectum ut dictus Michael cum alia Muliere; dicta vero Joanna cum alio Viro de dicta Familia, præcedente tamen dispensatione Apostolica super conjugum unitatis, seu affinuitatis gradu, quatenus opus sit, libere, & licite valeant; Apostolica Auctoritate declares. Non obstantibus, etc. Datum Romæ, etc.
 Duodecimo: & non solum Ipse Summus Pontifex solet in hujusmodi Matrimonii ratis, secundum casuum contingentiam dispensare; sed etiam Major Penitentiarius in occultis dispensat, ut fidem faciunt
 36 idem Corradus d. lib. 8. cap. 7. num. 35. & Vinc. de Justis d. lib. 2. cap. 10. num. 18. qui ponunt Litteras S. Penitentiarius datas pro prædicta dispensatione in foro conscientie; hodie tamen Major Penitentiarius hac facultatem non habet, attenda reformatione Tribunalis ipsius, ac restrictione potestatis, facta per f. m. Innocentium XII. Anno 1692. cujus Bullæ continentiam, ac tenorem ego retuli in meis Declarationibus de Sacram. Penitentia Decis. 48. à num. 11. & seqq. Igitur cum ex hucusque deductis certum sit, Summos Pontifices solitos fuisse dispensare in Matrimonio rato ad effectum, ut qui illud contraxerunt, sed non consummarunt, possint aliis nubere; & de his dispensationibus habemus testimonia, atque exempla per sexcentos continuos annos, nefas esset dubitare de potestate Summi Pontificis circa dissolutionem prædictorum Matrimoniorum; neque ullus, nisi impudens, diceret, Papam errasse contra Jus; nam habet omnia iura in Scrinio pectoris, & totam Juris Divini declarandam facultatem, ac proinde sit fidei regula. cap. Quoties fidei. cap. Rogamus. cap. Ardea. cap. In sede. & cap. Hæc est fides. 24. qu. 1.
 Quartò: Igitur verior, & communior est opinio, quod Papa possit in Matrimonio rato dispensare, quæ est omnium Theologorum, Juristarum, ac Canonistarum, quorum quinquaginta octo nomen refert Sanchez de Matrim. lib. 2. disp. 14. num. 2. ita scribentem, ac doctentium; prout etiam triginta DD. hanc Sententiam defendentes allegat Cavallos commun. contra com. part. 1. qu. 343. quibus ex modernioribus adscriptantur Bonacia de Matrim. qu. 2. par. 11. num. 4. Layman lib. 5. tract. 10. part. 3. cap. 6. num. 4. Avelta de Matrim. quest. 2. sect. 6. Vers. Terid ultioris, Eminen. Cardin. Tufchus conclus. 153. num. 1. Litt. M. Garzias de Benefic. part. 7.

cap. 10. n. 83. Barbofa de Jure Eccles. Univ. lib. 1. e. 2. n. 121. Diana Coordinatus tom. 3. tr. 1. resol. 94. 95. 96. & 97. Quæ extraxerunt sunt ex veteri p. 8. tr. 1. resol. 62. 63. 65. & tr. 3. resol. 97. Salmanticensis d. tr. 9. de Matrim. c. 4. n. 61. Pyrrhus Corradus in Praxi Dispensat. Apost. d. lib. 8. cap. 7. num. 26. Vinc. de Justis de Dispensat. Matrim. d. lib. 2. cap. 10. n. 15. Emin. Card. de Lauræa d. disp. 16. de Matrim. art. 12. §. 2. per totum. Et doctissimus Maffrus in 4. Sent. disp. 7. num. 197. & 198. qui omnes egregii Doctores absque ulla hesitatione firmant, posse Summum Pontificem, iuxta, ac rationabili aliqua causa interveniente (de quibus mox dicam infra n. 43.) dissolvere vinculum Matrimonii rati, nondum consummati, ex auctoritate sibi à Christo specialiter concessa, ut ejus Vicario, sive dispensando super dicto Matrimonio, sive declarando, in illo casu vinculum Matrimonii esse solubile, ut loquuntur ipsi DD. & præcipue Barbofa d. lib. 2. cap. 2. num. 121. Et ita est tenendum, ut novissimè demonstrat Pignatellus in d. tom. 1. consil. 148. num. 4. & 5. ubi plurimos alios DD. cumulat, & ait, quod contrarium asserere esset temerarium.
 Neque obstant rationes in contrarium ab initio allegatæ. Non Prima; quia est insolubilitas rati Matrimonii sit de Jure Divino, Christus dedit potestatem specialem Papæ Vicario suo illud solvendi pro bono regimine Ecclesiæ; ut dictum est supra num. 14. Non Secunda; quia pro consummato tantum nulla penitus data est aliqua potestas solvendi; ut ait Summus Pontifex in cap. Ex publico. 7. De Convers. conjugat. secus est pro Matrimonio rato, non consummato; ut ostendit idem Pignatellus d. tom. 1. consil. 148. num. 4. & ibi alii gravissimi Theologi, ac Canonistæ; & deducitur etiam ex diversitate significationis; nam Matrimonium consummatum inquit unionem indissolubilem Verbi Divini cum Humanitate Christi; ratum vero unionem Dei cum anima fidei quæcumque per gratiam, quæ uno per peccatum solvi potest. Salmanticensis d. cap. 4. numer. 67. Non Tertia; quia Papa non impedit effectum Sacramenti, sed declarat effectum insolubilitatis à Deo auferri in illo Matrimonio rato ob urgentem causam, sed specialia auctoritate sibi ab iplo Deo attributa, ut respondet Eminentiſſ. Card. de Lauræa d. disp. 16. num. 259. Non Quarta; quia Evangelium, & Apostolus loquuntur de Matrimonio consummato, non de rato; & quatenus etiam de isto, intelligunt, ne solvatur propria auctoritate conjugum, sed ex speciali facultate Vicarii Christi. Non Quinta; quia non currit paritas inter auctoritatem Principum Laicorum, & potestatem Papæ in hac materia; quia soli Papa data est à Deo. Non Sexta; quia ad tollendam scandalam permittitur ablatio juris acquisite per conjugem in alium in solutione Matrimonii rati; tantò magis quia conjux nihil perdit in substantia; dum declaratur liber, & potest alteri nubere. Non Septima; quia Nicolaus Papa ibi loquitur de Matrimonio consummato. Non Octava; quia Innocentius III. intellexit, vel de Matrimonio consummato, vel de solutione vinculi, quam conjuges intendebant facere posse privata auctoritate, & à seipsis. Non Nona; quia prorsus falsa est illa regula; ut latè probat Perez de Matrim. disp. 29. sect. 8. num. 2. & Diana part. 8. tract. 1. resol. 64. nunc residente in Coordinato tom. 3. tract. 1. resol. 98. ubi firmat, non posse Episcopum procedere ad dissolutionem Matrimonii rati, nisi ex speciali delegatione Summi Pontificis, ut vidimus supra num. 33. & 35. factum esse ab Archiepiscopis Bergen. & Neapolitano. Non Decima; quia ut bene observat Maffrus in 4. sent. d. disp. 7. num. 198. gratis asseritur, Scotum dixisse, non posse Papam solvere vinculum Matrimonii rati; quia Scotus in 4. dist. 31. hunc casum
 non

non tractat, sed tantummodo differit, quo iure conueniat Matrimonio ratio esse insolubile; & ait ex iure Divino positivo; & quo tamen excepta est Professio Religiosa iuxta praxim Ecclesiæ. Ideo subdit Matritius, quod imò contrarium deduci debeat: Cum enim Doctores ibi Legem Divinam interpretentur iuxta usum, & praxim Ecclesiæ, consequenter credendum est (ut etiam inquit Higueus) quod idem dixisset Doctores in aliis casibus, si vidisset in praxi aliquam Pontificis dispensationem in Matrimonio rato, aut Ecclesiæ; & quod in omnibus similibus sustineret interpretationem Divinæ Legis iuxta sensum, & praxim Ecclesiæ. De aliis Theologis non est curandum; tum quia eorum opinio negativa ab aliis, in majori numero affirmativam tenentibus, enervatur, ut ait Fagnanus in cap. Ne imitari, num. 166. De Constit. rom. 1. tum etiam quia contrarium facit Summus Pontifex, cujus iudicio est omnino standum. Idem 42 Fagnanus in cap. Venerabili, num. 36. de Testibus, tom. 3.

Cæterum, quia unanimiter omnes Doctores dicunt, hanc facultatem dispensandi in Matrimonio rato non posse à Papa exerceri, nisi iuxta interveniente, eaque gravissima causa. Pignatellus, qui eos cumulat d. tom. 1. consulti. 148. num. 7. & 8. videndum est, quenam sint causæ istæ? Et equidem sunt duodecim sequentes.

Prima est notabilis disparitas conjugum in qualitate, ut quando contrahentes sunt valde disparēs in conditione; sæpe enim vidimus, quod aliqui adolescentēs Nobilibus, amore captus, desponsat puellam ignobilem, nihil reflectens ad ignominiam, quam infert suæ prospiciæ; & injuriam suis genitoribus, ac consanguineis. Frequenter, cum essem Vicarius Generalis hic Patavii, mihi infandum fuit in divertentis Juvenibus nobilibus, ne puellas viles desponsarent, eorum amore captis. Hinc antiqui pingebant Cupidinem cæcum, & oculos vitæ opertos habentem, ut ostenderent, quod Viri amore capti alicujus mulieris non advertunt, quod tendant, sed sola passione ducuntur, iuxta illud Ovidii in Epist. Quis deat, non videt ullas amans.

Et Propertii 2. Elegiar. Ante pedes cæcis lucebat semita nobis: Scilicet insano nemo in amore videt.

Ideò accurrentibus affinis, audito impari conjugio factò, & impediens ne consummetur, ad tollenda scandala, lites, & alia inconvenientia inter Genitores, & Filium, potest Apostolica Sedes prævia dispensatione dissolvere hujusmodi Matrimonium ratum, non consummatum, ob nimiam disparitatem conditionis eorumdem conjugum. Menochius d. consulti. 385. num. 1. Pyrrhus Corradus d. libr. 8. cap. 7. sub num. 35. Vincent. de Justis dist. libr. 2. cap. 10. num. 24. Reginaldus libr. 31. num. 38. & Sanchez de Matrim. d. lib. 2. disp. 16. num. 2.

Secunda causa est Lepra superveniens alteri ex conjugibus; quia cum Matrimonium ordinatur ad mutuum corporis usum, ratione sobolis procreandæ, & ardoris libidinis extinguendi; Lepra hunc usum moraliter impedire censetur, ob magnum contagionis periculum; & ideò ob Lepam, qua infectus apparuit Sponsus, dispensasse, ac dissolvit Matrimonium Martinum V. testatur Borgatus de Irregularitat. part. 6. in tit. de Sponsalib. num. 74. & idem est dicendum de quocumque alio morbo contagioso, quod

45 his est morbus Gallicus, de quo Zacchias in O. Medicolegal. lib. 3. tit. 3. quest. 4. num. 26. ita scribit: Sciondum est, quod infectio ex morbo Gallico aut non pertransit pudendas partes, & est proxima; aut penitiora penetrat, & ad hepar pervenit, inficiens illud contagio, quod cum sit officina sanguinis, inficitur tota sanguinis massa; & sic morbus universi corpori communicatur. In priori ergo casu apparent ulcuscula in pudendis, aut virulenta gonorrhœa, & alia

symptomata his non dissimilia; in posteriori apparent bubones primùm, dolores in universo corpore, ulcera maligna, depilatio, ruccedo, & alia. Hic sic se habentibus, accendum est, urgente morbo quocumque, semper imminere periculum infectionis. Ergo talis morbus erit iuxta causam pro dissolutione Matrimonii rati, ne conjux sanus iniciatur eodem.

Tertia causa est timor magni scandali futuri, quia id eedit in grave damnum commune; nam rixæ, & graves discordiæ, ac necesse indè oriri solent; cum maximè hujusmodi scandala evenire possint, vel ob fornicationis timorem, quando conjuges sunt genio difformes, & sibi valde displicent; vel ob inimicitias, quæ inter eorum consanguineos, vel cognatos probabiliter timentur, Felinus cons. 26. num. 19. Menochius d. cons. 385. num. 7. Sanchez d. libr. 2. de Matrim. disp. 16. num. 3. Vincentius de Justis d. libr. 2. cap. 10. n. 23. & Pignatellus d. consulti. 148. num. 9.

Quarta causa est, dum alter conjugatorum asserit, se non habuisse animum contrahendi, nec potest induci ad illum habendum, nisi cum magno inimicitiarum periculo, vel mali exitus Matrimonii, ut demonstrat Menochius in d. cons. 385. num. 18. & Vinc. de Justis d. cap. 10. num. 25.

Quinta causa est, quando Vir omni conatu querit Uxorem repellere, & evidens est ejus viri periculum absque spe emendationis. Idem de Justis ibid. num. 26. & facit Rota post Vol. 2. Consilior. Farinacii Decisio 86. in qua Sponsus Sponsam graviter vulneraverat, & occidere volebat.

Sexta est, si Vir fuisset promotus ad Episcopatum, & hæc promotio esset valde utilis, & necessaria ad bonum commune, tunc enim si sponsa recusaret religionem ingredi, nec continentiam vellet sectari, solvi posset hoc Matrimonium ratum, ut ipsa posset alii nubere. Sanchez d. libr. 2. disp. 16. num. 8. Diana Coordinatus d. tom. 3. tractat. 1. resol. 93. desumpta ex part. 8. tract. 1. resol. 62. in qua §. 14. hæc subdit: Hinc notandum pro curiosis aliquem eodem ad Pontificatum ante Matrimonium consummatum posse dispensare in suo Matrimonio rato, ut docet Sanchez libr. 7. disp. 38. numer. 20.

Septima est, si conjuges essent inter se heterogenei, idest discordes animo, & ad invicem peterent dissolutionem rati Matrimonii, ob eorum quietem, ac pacem. Trullencus tom. 3. libr. 7. cap. 4. sub 4. num. 8. & Card. Tullchus lit. D. conclus. 477. & ob hanc causam videtur dissolutum à Gregorio VII. Matrimonium Principissæ Mathildis, & Godefredi Gibberi, de quo supr. num. 21.

Octava causa esset, si Hermaphroditus, qui prævalebat in sexu femineo, & contraxit Matrimonium tamquam femina, antequam consummasset, cepisset prævalere in sexu virili. Ita Verricellus de Mission. Apostol. q. 196. Dub. 11. num. 89. Vel si ex quacumque alia causa Sponsus fieret impotens ad copulam. Sanchez d. lib. 2. disp. 16. num. 6.

Nona est periculum perverſionis, ut si puella catholica Matrimonium contraxisset cum heretico; ut notat Eminentiss. Cardin. Bellarminus de Contrar. Fidei libr. 2. de Monach. cap. 38. Gutierrez de Matrim. cap. 54. num. 3. ac Pignatellus tom. 8. consulti. 105. ubi tamen dicit, in hac materia non esse relaxandas habenas.

Decima est, si quis post Matrimonium ratum contractum cum una, & non consummatum, contraxisset cum alia, & consummasset, quamvis enim hoc secundum Matrimonium consummatum non sit 46 validum, quia primum ratum impedit, ac dirimit hoc secundum. cap. Licet 3. & cap. si de Sponsa duor. cap. si inter. 31. De Sponsalib. nihilominus ubi magna scandala timerentur, posset Summus Pontifex dissolvere primum ratum ad effectum, ut in secundo,

cundo, prævio novo consensu, conjuges legitime remanent. Vincentius de Justis d. libr. 2. cap. 10. num. 32. & ibi Boerius cons. 20. num. 4. & Pavin. de Viliat. part. 1. quest. 9. num. 31.

Undecima causa est, si conjuges contraxissent in tenera ætate, & ex cursu temporis sibi invisii, ac odios evaderent. Idem de Justis ibid. num. 33. & 34. subdens; hanc causam esse intelligendam inter personas Magnates, ac valde potentes.

Duodecima tandem causa est, quando ageretur de pace in Republica servanda, seditionibus, inimicitisque avertendis, ac de bono communi tuendo. Afflic. Decis. 149. num. 7. Valerius de Diff. Utriusq. for. Verb. dispensatio. diff. 6. num. 4. Pyrrhus Corradus d. libr. 8. cap. 7. sub num. 33. Volpi in Resolut. Moral. Verb. Matrimonium. resol. 110. num. 5. Reginaldus d. libr. 31. num. 38. Vincentius de Justis in cit. lib. 2. cap. 10. num. 33. & 34. Zerola part. 1. Verb. Dispensatio. §. 2. atque Sanchez de Matrim. lib. 8.

47 disp. 19. num. 5. qui tamen advertit libr. 2. disp. 16. num. 9. solum mutuum consensum ipsorum conjugum non esse causam sufficientem, ut Papa dissolvat Matrimonium ratum, quia præter eorum consensum requiritur aliqua iuxta causa ex supra notatis, ut scribit etiam Pignatellus d. tom. 1. consulti. 148. num. 9.

Tandem Corollarii loco tria dubia, tribus in verbis, sunt resolvenda, circa quæ Juristæ, ac Theologi diladantur. Primum est, An Papa absque iusta causa, sed pro libito suo possit in Matrimonio rato dispensare, & ejus vinculum solvere? Et licet Glossa, & nonnulli Canonistæ in cap. Ex publico. De Convers. Conjugat. affirmet, qui tenent indissolubilitatem in rato esse ex constitutione Ecclesiæ; omnes tamen Theologi docent, Papam non posse nec licite, nec valide in eo dispensare, nisi iuxta, & gravi causa interveniente. Ita Sanchez d. libr. 8. de Matrim. disp. 15. numer. 6. Volpi Verb. Matrimonium resol. 110. numer. 5. Pyrrhus Corradus d. lib. 8. Dispensat. Apostol. cap. 7. num. 26. & Vinc. de Justis de Dispensat. Matrim. d. libr. 2. cap. 10. num. 17. qui referunt Summos Pontifices Innocentium VIII. Adrianum VI. & S. Pium V. non semel requisiti ab Oratoribus Principum, ut dignarentur secum dispensare in Matrimonio rato, respondisse, Non posse, non quia deficeret in eis potestas, sed quia in illis casibus deficiebat iuxta causa; quæ omnino necessaria est, ut valida sit dispensatio; cum indissolubilitas rati sit ex jure Divino, & facultas dispensandi in Lege Divina data sit à Christo ob justam, & urgentem causam Vicario suo; qui propterea, tamquam fidelis dispensator, eam exercere debet in ædificationem Ecclesiæ, non in destructionem, ut differit Matritius in 4. sent. d. disp. 7. num. 202. Et Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. disp. 16. §. 2. numer. 263.

Secundum dubium est, An Papa possit facere Legem generalem dispensativam, ac dissolutivam Matrimonii rati ex tali causa, vel ex tali conditione? Et licet Averia de Matrim. quest. 2. sect. 6. Verſ. Post autem affirmet; negativa responſio datur communiter à Theologis, & jure quidem; nam agit de Lege Divina, circa quam requiritur Summi Pontificis diligens, ac specialis inspectio in casu practico pro dispensando in ea, ut scribunt Sanchez d. lib. 2. disp. 14. num. 4. Matritius d. disp. 7. num. 203. & Diana Coordinatus d. tom. 3. tract. 1. resol. 97. §. 5. quæ in inordinato reperitur in part. 8. tract. 1. resol. 65.

Tertium tandem dubium est, An in casu dispensabilis ob justam causam in Matrimonio rato, sit necessarius consensus utriusque conjugis? Et communiter DD. respondent negativè; adeò ut, etsi unus conjux sit invitus, & resistat potenti dispensationem, eidem contradicendo; nihilominus Papa poterit eam concedere, ubi sic cognoverit, pro bono publico, & animarum salute expedire; ut docent Sanchez eod. libr. 2. disp. 15. num. 7. Salmanticensis

50

51

ses d. tract. 9. de Matrim. cap. 4. num. 62. Volpi d. Verb. Matrimonium. resol. 110. num. 5. & ipse Diana Coordinatus in cit. tom. 3. tractat. 1. resol. 96. quæ in veteri est part. 8. tract. 1. resol. 62. in qua in §. 6. ita loquitur: Notandum est tamen hic primo, quod, iuxta existentem causam, dispensare potest Pontifex in Matrimonio rato absque mutuo consensu conjugum. Ratio est, quia potestas hæc dispensandi non in gratiam, ac bonum præcipue privatum ipsorum conjugum, sed in primis ipsius Ecclesiæ concessa est.

DECISIO XVI.

ARGUMENTUM.

Præmissa duplici significatione, atque Etymologia hujus vocis Sponsalia, nec non nominum Sponsi, & Sponsæ, traditur definitio Sponsalium, eorum totam essentiam demonstrans. Declarantur singula verba definitionis, & plurimæ Quæstiones circa validitatem Sponsalium excitantur, ac resolvuntur. Recensentur gratiosæ eruditiones, præcipue de Sponsalitiis muneribus Isaaci, ac Davidis; nec non de Annulis pronubis S. Annæ Matris Genitricis Dei; ipsiusque DEIPARÆ, ac aliarum Sacrarum Virginum. Item de usu oculari Sponsam in Sponsalibus. Tandem notantur tres effectus à Sponsalibus validis provenientes.

SUMMARIUM.

- 1 Sponsalium nomen significat duo. Et quæ?
- 2 Arrha cur dantur a Sponsis in Sponsalibus?
- 3 Sponsalitia munera Orionis, & Rebecca Sponsæ Isaaci.
- 4 Item Davidis erga Micholem Sponsam suam.
- 5 Sponsalium Etymologia quæ sit?
- 6 Sponsalia antiquitus fiebant per stipulationem à parentibus Sponsorum.
- 7 Sponsus, & Sponsa tria significant, & quæ?
- 8 Sponsæ apud Hebræos vocabantur Uxores. Exempla hic.
- 9 Sponsi aliquando dicuntur conjuges nondum consummato Matrimonio.
- 10 Et aliquando etiam post Matrimonium consummatum.
- 11 Sponsi, & Sponsæ significant propriè conjuges de futuro.
- 12 Sponsalium definitio, eorum omnem essentiam de-notans.
- 13 Promissio externa est necessaria pro Sponsalibus.
- 14 Interna locutio sufficit coram Deo; non coram hominibus.
- 15 Sponsalia in quo differant à Matrimonio?
- 16 Sponsus fornicarius cum libera An committat adulterium?
- 17 Sponsus fornicarius debet in confessione manifestare se esse Sponsum.
- 18 Promissio Sponsalium debet esse mutua, & cum re-promissione.
- 19 Promittens, licet ei non repromittatur, an sit obligatus?
- 20 Promissio in Sponsalibus non acceptata an obliget promittentem?
- 21 Fidei qui promittit in Sponsalibus, mortaliter peccat, & an sit obligatus adimplere promissionem?
- 22 Fidei promittens in Sponsalibus tenetur ad damna alterius Sponsæ.
- 23 Libertas intellectus, & Voluntas necessaria in contrahentibus Sponsalia.